Fragmentarium

cas gutturi tuo. et describe in tabulis cordis
tui. et invenies gratiam et disciplinam bonam
coram deo et hominibus. Habe fiduciam in
domino ex toto corde tuo: et ne innitaris
prudentie tue. In omnibus viis tuis cogita
illum: et ipse diriget gressus tuos. Ne sis
sapiens apud temetipsum: time dominum et
recede a malo. Sanitas quippe erit umbi
lico tuo: et irrigatio ossium tuorum. Honora
dominum de tua substantia. et de primitiis fru
gum tuarum: et implebuntur horrea tua
saturitate: et vino torcularia redundabunt.
Disciplinam domini fili mi ne abiicias: nec
deficias cum ab eo corriperis. Quem enim
diligit dominus corripit. et quasi pater in
filio complacet sibi. Beatus homo qui inve
nit sapientiam: et qui affluit prudentia.
Melior est adquisitio eius negociatione ar
genti et auri: primi et purissimi fructus eius.
Preciosior est cunctis opibus. et omnia que
desiderantur: huic non valent comparari.
Longitudo dierum in dextera eius: et in sini
stra eius divitie et gloria. Vie eius vie pul
chre: et omnes semite eius pacifice. Lignum
vite est his qui apprehenderint eam: et qui
tenuerit eam beatus. Dominus sapientia fun
davit terram: stabilivit celos prudentia.
Sapientia illius eruperunt abyssi: et nubes
rore concrescunt. Fili mi ne effluant hec
ab oculis tuis. custodi legem atque consilium:
et erit vita anime tue. et gratia faucibus tuis.
Tunc ambulabis fiducialiter in via tua:
et pes tuus non impinget. Si dormieris: non
timebis. quiesces: et suavis erit somnus
tuus. Ne paveas repentino terrore. et irru
entes tibi potentias impiorum. Dominus
enim erit in latere tuo: et custodiet pedem
tuum ne capiaris. Noli prohibere benefacere
[illegible] potest: si vales et ipse benefac. Ne

tibi: cum statim possis dare. Non enim
scis quid futura pariat dies. Ne mo
liaris amico tuo malum: cum ille in te
habeat fiduciam. Ne contendas adversus
hominem frustra: cum ipse nichil tibi
mali fecerit. Ne emuleris hominem iniustum
nec imiteris vias eius: quia abhominatio
domini est omnis illusor. et cum simpli
cibus sermocinatio eius. Egestas a domino in
domo impii: habitacula autem iustorum
benedicentur. Illusores ipse deludet: et
mansuetis dabit gratiam. Gloriam sapien
tes possidebunt: stultorum exultatio igno
minia. Audite filii disciplinam patris:
et attendite ut sciatis prudentiam. Donum
bonum tribuam vobis: legem meam ne
derelinquatis. Nam et ego filius fui patris
mei: tenellus et unigenitus coram matre
mea. et docebat me atque dicebat. Suscipi
at verba mea cor tuum: et custodi precep
ta mea et iudicia et vives. Posside sapien
tiam. posside prudentiam: ne oblivisca
ris neque declines a verbis oris mei. Ne
dimittas eam et custodiet te: et dilige eam et
servabit te. Principium sapientie posside
sapientiam. et in omni possessione tua ad
quire prudentiam. Arripe illam. et exal
tabit te: glorificaberis ab ea cum eam fue
ris amplexatus. Dabit capiti tuo augmen
ta gratiarum. et corona inclita proteget te.
Audi fili mi et suscipe verba mea. ut
multiplicentur tibi anni vite. Viam sapi
entie monstrabo tibi. ducam te per semitas
equitatis. Quas cum ingressus fueris.
non artabuntur gressus tui. et currens
non habebis offendiculum. Tene discipli
nam ne dimittas eam: custodi illam quia
ipsa est vita tua. Ne delecteris semitis
impiorum. nec tibi placeat malorum via.

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/97, Fol. [2]r – Bible
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-16ur/6735/56574)